

Theodoretus, videlicet lib. III. cap. xv. Ecclesiasticæ Histor. ubi gloriosum finem describit Juventini & Maximi Martyrum sub Juliano Apostata, hæc inquit de impio Augusto: *Gravibus illos, atque acerbis tormentis exercuit, hac vita privavit; immo, ut verius dicam, infelicitate illius temporis liberavit, ejusque Victoriæ Coronas procuravit.* Ita cap. xvi. subsequenti, Valentianum postea Imperatorem, quod Juliani impia sacrificia fuerit averfatus, *Utrumque Regnum consequutum fuisse* asserit, Terrenum videlicet atque Cœleste. Vitam quoque Sancti Theodosii Antiocheni Abbatis describit Theodoretus in Philotheo cap. x. atque hanc ait morientem migrasse ad *Chorum Angelorum*. In eodem etiam l. c. VIII. ipsum audi de S. Aphaate Anachoreta loquentem: *Ea, inquit, nunc quoque benedictione fruatur, utpote qui credam eum vivere, & una cum Angelis choros ducere, & majori, quam olim, apud Deum uti fiducia. Nunc enim, deposito onere perturbationum animi, ut athleta Victoriæ positus, fiducia & libera loquendi facultate utitur Apud Agonothetam.* Qui heic Agonotheta dicitur, sive certaminum moderator, & victorū Munerator, Christus Dominus est, cujus præsentia nunc fruatur, & a quo præmia victoriæ sanctus ille Anachoreta recepit, ideoque *una cum Angelis* in Cœlo tripudiat atque lætatur. Vide infra c. xxv. hujusce Dilquisitionis meæ, pari phrasi usum Nicephorum Gregoram in Vita S. Codrati Martyris. Denique Theodoretus in prælaudato c. VIII. ita in rem nostram loquitur; *Ac generosæ quidem TRIUMPHANTIUM ANIMÆ COELUM OBAMBANT, & incorporeorum SPIRITUUM CHORIS INTERSUNT* &c. *Urbes & pagi horum APUD universorum DEUM utentes interveniunt, divinis per ipsos munera consequuntur.* I nunc, & si potes, Theodoretum in somnia Burneti consentientem tibi persuade. Si jam Martyres acceperunt *repromissionem*, eorumque Animas, *Eternis insignitas Coronis*, Cœlestis Beatitudo accepit: ergo Apostoli locum interpretari opus est de *repromissione Resurrectionis*, quam Sancti nondum acceperunt, *ἡ ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν* *ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν*, hoc est, *ut non sine nobis consummarentur.*

Commemoratur etiam Burneto pag. 56. vetus fragmentum Græci Auctoris (sive ille sit *Cajus*, sive alter perantiquus Christianus) Hoeschelio primum editum in Notis ad Bibliothecam Photii Codice XVIII. Ibi *Ἄδης Ἅδης*, *Subterraneus Locus* appellatur; in quem tum Justorum, tum Injustorum Animæ deducuntur, diversa tamen domicilia sortientes. Amœnum videlicet Justis conceditur, *Sinus Abrahæ* ab aliis appellatus. Improbis inferius habitaculum, terroribus plenam, assignatur. Eo in loco usque ad Resurrectionem continentur omnium Animæ. Ita in eo fragmento. Apud Hoeschelium *Josepho* Hebræo, a Dodwelo autem per conjecturam *Cajo* Presbytero Romano tribuitur, quemadmodum suspicatus quoque fuerat Photius de altero pari Opusculo. Denique Stephanus le Moigne, & Johannes Albertus Fabricius in editione Operum S. Hippolyti Episcopi & Martyris, fragmentum hujus Auctorem opinati sunt eandem *S. Hippolytum*. Sed quicumque is Auctor